

denegaretur dispensatio, aut cum aliquo moderamine concederetur. Secundo dico, tunc similiter vitari ex falsi expressione, quando contingit circa causam finalem, ita ut ea falsitate non expressa, denegarentur literae: aut si esset moderamen adhibitum. Quod intelligendum est, quando plures causae narrantur, & finalis est vera. Nam si una sola causa naretur, & ea falsa sit, qualiscunque sit illa, non valebit rescriptum. Tertio dico, si ex literae motu proprio concedatur, valere non obstanti subreptione veritatis tacite. Secus si esset subreptio falsitatis narratae. Ultimo dico, quando falsi expressio, aut veri tacturnitas contingit circa solam causam impulsivam, licet dolo contingat, in neutro foro vitari literas. Si au-

tem sit circa causam finalem, sic distingendum est, si est causa totius rescripti, totum vitabitur, siue dolo, siue ignoranter contingat. Si solius partis est causa, & altera pars est omnino separata, illa sola pars vitabitur, in qua est subreptio etiam dolosa. Si autem partes coniunctionem quandam habeant, separabilem tamen quoad valorem, tunc si ignoranter, id est, non per fraudem, & maliitiam subreptio admittitur, valebit in utroque foro rescriptum, quoad solam partem in qua non fuit subreptio. Si vero per fraudem, & maliitiam, ea quoque pars vitabitur, & corrumpitur, in qua non fuit subreptio: non tamen in foro, & in foro conscientiae, ante iudicis sententiam, sed post illam.

**DISPUTATIO VIGESIMASECUNDA.**

An duplici ad eandem rem dispensatione impetrata, posterior subrepticia censetur, nisi prioris mentionem faciat?

**SUMMARY.**

**A** N Quando non additur dispensatio, sed est executio prioris, sit opus mentionem prioris? num. 1.  
 Quid, quod posterior dispensatio additur prioris? Referunt opinio affirmans num. 2.  
 Proponitur probantia non opus esse mentionem prioris facere. num. 3.  
 Sola dispensationis materia attendenda non est ea mentio necessaria, sed in quantum colligitur velle Principem, ut ea mentio fiat. num. 4.  
 Non est necessaria mentio, quando non est aliqua contrarietas inter utraque. num. 5.  
 Quid, si prior cum moderatione fuit concessa, & posterior absque illa? num. 6.  
 Quid, si utraque ab inferiori concessa sit? num. 7.  
 Quid, si in posteriori est clausula, motu proprio, & ex certa scientia? num. 8.  
 Quid, si utraque dispensatio ab eodem petita sit? num. 9.  
 Quid, si concedens posteriorem absque limitatione, nisi ex stylo Curiae solere imponi limitationem? num. 10.  
 Quid, si qua impetrat dispensationem voti castratis cum limitationibus ex stylo Curiae imponi solitis, & postea eandem absolutam, tacita prioris? num. 11.  
 Quid, si posterior ex noua causa sufficienti impetratur? num. 12.  
 Quid, si impetrans dispensationem ad nubendum consanguineo, et non nubens, vel factam iam vi-

dam impetrat aliam ad nubendum alij consanguineo, non facta prioris mentione? num. 13.  
 Quid, si perita dispensatio denegatur, & tacita denegatione impetratur? num. 14.  
 Quid, si oratio dubia, aut scriptura circa valorem prioris dispensationis limitata, impetratur aliam amplius, tacita prioris mentione? num. 15.  
 Quid, si posterior sit limitator, an fas sit deposito prioris dubio, illa vitari? num. 16.  
 Quid, si posterior non impetrata sit ad confirmandam priorē sed ad illam, qua limitator erat, attendendam, an utraque, tacita prioris correctione, referatur quaedam sententia? num. 17.  
 Proponitur sententia Authorem. num. 18.  
 An impetrans dispensationem ad ducendam consanguineam, & nolens ducere, obtinuit dispensationem ad ducendam aliam, postea hac posteriori non ducta, vel iam viduus esset, vitari prioris dispensationem? num. 19.  
 An si impedimentum matrimonij ex eodem, vel diversi generis crimine confurgat, & impetrata sit semel dispensatio, sit posteriori subrepticia, non faciens prioris mentionem? num. 20.  
 An prioris dispensationis irrita sit necessitas in re in posteriori? num. 21.  
 Quid, si ab eodem utraque impetratur, & prior sit limitator? num. 22.  
 An hoc posterior in totum corrumpat, an quoad solam prioris excessum? num. 23.  
 Soluntur argumenta. num. 24.

**I** N hac disputatione non est mentis nostrae tractare de rescriptis iustitiae, quando, scilicet, altera pars impetrat rescriptum non faciens mentionem prioris ad se, vel ab adversaria parte impetrati. Nec etiam an posteriori privilegium non faciens mentionem prioris, illi deroget, quando prius est alteri concessum. Sed de his consulendi sunt Doctores cap. 1. & cap. ceterum, de rescriptis. Sed de solis dispensationibus agimus, quando posterior subrepticia censetur, eo quod prioris mentio facta non sit. De qua re nimis breuiter, & valde confusè tractant Doctores, & ideo difficilis est resolutio. Considerata autem inter omnes, quando dispensatio non additur dispensationi, sed est equitio dispensationis iam factae, non est opus prioris dispensationis mentione. Ut si cum homicida dispensatum sit ad beneficium obtinendum, non tenetur dum postea beneficium impetrat, de defectu illius, aut dispensationis mentionem facere. Quodiam in illo dispensatum secum sit, nec nupè dispensationem aliquam impetrat, sed priorem exequatur recipiens beneficium. Sic contra aliquos, quos tacito nomine ibi refert, tenet Ioann. Andr. cap. 2. num. 2. de filiis presbyteri in 6. & ibi Ancharr. num. vnicuique notabili 3. Dominicus num. 7. Francus num. 4. Abbas cap. penultimo. num. 14. de prescript. Rebuffus praxi beneficij de dispensationibus, in fine. Et in concordatis, in forma mandati Apostolici, super verb. dispensationum.

Difficultas autem est, quoties noua dispensatio prior additur, an ut posterior valeat, sit necessario prioris eidem concessa mentio faciendae? Et quidem communiter Doctores id affirmant. Ducuntur potissimum ex cap. 2. de filiis presbyteri in 6. ubi deciditur subreptitiam fore dispensationem à Sede Apostolica impetratam, vt illegitimus obtineat plura beneficia, si prius ad vnum dispensatum secum sit, nec in posteriori dispensatione mentionem illius defectus faciat. Et redditur ratio, quod Pontificem prioris dispensationis consciū, non concessurum posteriorem, sit verisimile. Secundò, idem probant ex cap. penult. de prescript. vbi dicitur r subreptitium privilegium recipiendi Sacramenta à quouis Aristite absolute concessum cuidam Abbati, non facta mentione alterius privilegij prius eidem Abbati concessi nō ita ample, sed cum moderatione hac, si proprius An-

tilites ministrare noller. Tertio, ex l. 3. C. de Episcopali auctoritate, ibi: Remissionem venie criminis nisi semel commissi non habeat. Ex quo textu Guillelmus de Cuneo ibi, Bald. num. 4. Paulus nu. 9. & innumer alij, quos referunt, & sequuntur Tiraquei. de poenis temperand. causa 10. num. 4. Couarr. lib. 1. variar. cap. 20. nu. 8. Anton. Gomez tomo 3. var. cap. 3. nu. 60. fine. Nauarr. lib. 1. consil. in utraq. editione. tit. de constitut. consil. 1. quest. 19. num. 53. & in extragan. de dactis pro iustitia, vel gratia, notabili 32. num. 48. verisimile nec obstat resolutio, Iulius Clarus lib. 5. receptorum, in practica crimin. §. finali. quest. 59. nu. 9. Sarmiento lib. 1. Sectarium c. 9. nu. 2. Menochius de arbitrarijs, lib. 2. centuria 3. casu 203. num. 32. Padilla. transigere. num. 69. C. de transactio. Bossius practica. tit. de remedijs ex sola clementia Principis. num. 35. Plaça de delictis. cap. 45. ad finem. Molina lib. 2. de primogen. cap. 4. num. 52. & lib. 4. cap. 3. num. 43. Rojas epitome successio. num. 23. num. 22. Gutier. q. canon. lib. 2. cap. 15. num. 89. Azebedo lib. 8. Recepti. tit. 1. §. 1. 2. nu. 14. Manuel 1. tomo summa. 2. editio. homicidij causa fore tacito alio homicidio prius remisso eidem. Idq. decidit. l. regia. 2. tit. 15. lib. 8. nouae Recopil. Ergo similiter in secunda dispensatione super eadem rem impetrata, oportet primam mentionem facere, vt valida sit. Atque ideo generaliter, & indistinctè loquentes colligunt ex dict. cap. 2. de filiis presbyteri in 6. in posteriori dispensatione, vt subrepticia non sit, necessario mentionem faciendam esse prioris; Glossa ibi post casus positionem, notabili. r. & ibi Ioann. Monachus initio. De cius consil. 695. vita donatione. num. 32. & 33. & consil. 54. r. num. 22. vers. 4. cogitandum, volum. 4. Parisius consil. 74. nu. 56. & 57. volum. 4. Iacobus de Fuceo decisio. ne 246. num. 2. & 4. lib. 1. Rebuffus in concordatis in forma mandati Apostolici, super verb. dispensationibus, & praxi beneficij, tit. de dispensatione super defectu natalium. num. 59. & tit. de dispensationibus. nu. 24. addens. nu. 25. nō sufficere, si in posteriori dispensatione dicatur, nō obstat prior, nisi illius quoque mentio fiat. Couarr. lib. 1. variar. c. 20. nu. 8. fin. Menoch. de arbit. lib. 2. centuria 3. casu 201. nu. 39. & casu 203. nu. 33. & 34. Molina lib. 2. de primogen. c. 4. nu. 51. Mer. de maior. in iudicio. l. p. q. 7. n. vnicuique. col. 2. Gutier. q. canon. lib. 2. c. 15. nu. 91.



Henriquez lib. 7. de indulgentijs cap. 17. num. 5. quauis addat hoc esse in foro externo. Atq. in d. cap. 2. de filijs presbyt. in 6. peti vt saltem in eo casu fiat mentio prioris dispensationis, tradunt Ioan. Andr. ibi num. 2. Abb. cap. penultimo num. 17. de prescrip. Nauar. lib. 4. consil. tit. de consanguin. in 1. editione, consil. 5. fine, in 2. consil. 8. num. 6. Covar. 4. decret. 2. p. cap. 8. §. 8. numer. 5. ver. 7. Molina lib. 4. de primog. c. 3. num. 43.

3 Pro parte autem aduersa, vt non sit opus mentione prioris dispensationis, fortiter vriget. Quod cap. 2. de filijs presbyt. in 6. qui textus est potissimus, & capitalis contrariæ sententiæ, eam non probet. Quia in eo non dicitur prioris dispensationis mentionem faciendam, sed solum prioris defectus, eod quod in illo non sit prius plene dispensatum, sed tantum quoad vnum beneficium obtinendum. Vt constat ex illis verbis textus. *Dispensationem aliam tacito de predicto defectu postmodum obtinent. iunctis verbis præcedentibus, ibi. Si cum quo fuit per Sedem apostolicam dispensatum, vt non obstante defectu natalium.* Atq. idem dominicus ibi num. 7. Francus num. 2. notabili 3. aut in secunda dispensatione addita prima, non esse opus de prima mentionem facere, sed de primo defectu. Et confirmatur, quia est textus ille peteret prioris dispensationis mentionem, loquitur in casu speciali, quando, scilicet, cum illegitimo dispensatur ad duo beneficia, tacita priori ad vnicum dispensatione. Nam difficilius vtrunq. simul, quam vtrumuis seorsum concederetur. Ita explicant eum textum Molina lib. 4. de primog. cap. 3. num. 43. & alter Molina tomo 3. de iustis. disput. 650. num. 4. Secundò, quia cap. penultimum, de prescrip. cui etiam prior sententia innititur, illam non probat. Quod is textus loquatur in casu speciali, nempe, quando per posterioris priuilegium derogatur iuri proprii Episcopi, cuius est omnia sacramenta suis subditis conferre. Quod ius partim seruatur inuolatum in priori priuilegio: vt potest quod solum concedebat ab alio recipere, quando proprius ministrare nollet. At posterioris absolute concedebat ab alio recipere. Et ita in hoc casu intelligunt eum textum (quauis non limitent ad eum casum, sed alios subtrineant), Innoc. ibi num. 4. Ioan. Andr. num. 14. Host. nu. 7. Anton. num. 20. Baldus num. 10. Cardin. num. vni co ver. in fine glossæ sic patet. Ancharan.

nu. 8. Quare eum textum ad alias dispensationes iuri tertij non derogantes trahere dissonat rationi. Tandem quia vltima ratio prioris sententiæ eam non probat. Quod hic nõ agatur de alicuius criminis remissione, que odiosior est: sed de dispensatione gratiosa in matrimonij impedimento, quod absq. culpa aliqua contrahitur.

4 Prima tamen conclusio sit. Si solum dispensationis naturam attendamus, non est subreptitia, quod in posteriori mentio non fiat prioris eidem personæ concessæ. Quare si ex hac taciturnitate posterior sit iudicanda subreptitia, id ex Principis voluntate deducendum est: eod credatur fore vt prioris memor posteriorem denegaret. Probat, quia cap. 2. de filijs presbyt. in 6. cui potissimum sententia num. 2. relata innititur, reddes rationem subreptionis huius; totam rem hanc in præsumptam voluntatem Principis denegatur posteriori concessit. Et vniuersi Doctores pro ea sententia eo num. 2. allegati hanc rationem tradunt. Secundo, quia cum neutra dispensatio ab altera pendeat, & vtraq. à potenti concedere impetrata sit, si vtriusq. natura præcisè consideretur, neutra alterius mentione indiget. Tertiò, quia seclusa hæc præsumpta Principis voluntate, si vim textu, & rationis probantium perpendamus, ea non probatur (vt num. præcedenti ostendimus). Et fortè hoc est, quod voluit dicere Abb. cap. penultimo nu. 13. de prescrip. vbi ait concessio alio priuilegio super separatis, vel super eisdem, non esse necesse prioris dispensationis mentionem facere. Quia hoc (inquit) nullibi cauetur. Solum enim ob odiosam beneficiorum pluralitatem cautè hoc reperitur cap. si motu proprio, de præb. in 6. & cap. in nostra, de rescrip. Et conclusio hanc in proprijs terminis docet Iacobus de Puteo decisione 246. num. 2. & 4. lib. 1. vbi ait subreptionem in hoc casu contingere, non ob dispensationis præcedentem, sed ob verisimilem Principis voluntatem.

5 Hinc deducitur, vbi inter priorè & posteriorem dispensationem nulla est dissonantia, sed solum super rebus diuersis, non esse opus mentione prioris in posteriori. Quod nulla ratio, nullusve textus ad id cogat. Quippe textus de hac re loquentes agunt de duabus dispensationibus, quando inter eas est dissonantia quædam, ac contrarietas. Vt num. sequenti videbimus. Neq. est sufficiens aliqua cõiectura vnde merito

colligatur cõtraria fore voluntatè Principis consij prioris dispensationis. Atq. ita docent Abb. cap. penultimo num. 13. de prescrip. Anchar. consil. 131. fine. Et hæc ratione Nauar. lib. 5. consil. in 1. editione, tit. de priuileg. consil. 12. nu. 2. & lib. 4. tit. de consanguin. consil. 5. fine. In 2. eodem tit. de consanguin. consil. 8. fine, & lib. 1. tit. de rescrip. consil. 6. num. 2. Petrus de Ledesma summa sacram. vbi de matrim. cap. 27. post 7. conclusionem, dubio 3. Vega 1. tomo summa 2. editione cap. 238. nu. 4. docent subdaco cum quo dispensatum est in ordine, vt ducat uxorem, si velit postea consanguineâ ducere, non teneri in posteriori hæc dispensatione mentione prioris facere. Quare penitus non intelligo quod tradit Rota in nouissimis, tomo 3. lib. 2. decisione 47. num. vniuerso, & Mandosius in signatura gratiæ tit. dispensationis, in fine, vbi tunc prioris dispensationis in potestriori mentionem faciendam esse docent, quando dispensationes essent diuersæ, seu ad diuersum finem tendentes, secus si ad eundem.

6 Secundo deducitur, quando prior & posterior dispensatio sunt circa eandem rem, ac inter vtraq. est dissonantia, & partialis quædam contrarietas, quod prior cum moderatione quadam concessa sit, posterior autem absolute, & absq. illa, subreptitiam esse posteriorem, nisi prioris mentio Principi fiat. Probat, quia hæc est vera, & germana intelligentia cap. 2. de fili. presbyt. in 6. vt tradunt ibi Ioan. Andr. num. 2. Abb. cap. penultimo num. 17. de prescrip. Parisius consil. 74. nu. 57. volum. 4. idem enim posterior dispensatio cum illegitimo ad duo beneficia cõterit irrita, eod quod non fuit in ea facta mentio prioris dispensationis ad vnicum beneficium. Quia posterior dispensatio est amplior, ac prioris moderatè non excedit. Vnde immerito doctores nu. 3. allegati explicant eum textum vt folius defectus sit mentio faciendæ, contra communem doctorum sententiam num. 2. relata. Præterea quia hic est verus, & germanus intellectus e. penultimi, de prescrip. Id eod enim in posteriori priuilegio decernitur ibi mentionem faciendam prioris, quod prius cum moderatione fuit concessum, posterior autem absolute. Quod egregie declarat ibi Innoc. num. 4. reddens rationem eius textus, quia Princeps certior factus de priori concessione limitata non eam mutasset. Quam eandem rationem

tradunt ceteri Doctores, ibi. Tandè, quia merito, ac iure optimo (prout constantiam, ac Principis grauitatem deest) præsumi potest fore, vt non facile, & absq. vrgenti ratione, passim inстар leuissimi hominis sententiam mutet, & quod semel cum limitatione concessit ipse, vel præcessor, postmodum ea seclusa concedat. Sed vtiq. diceret sufficere priorem dispensationem. Et in hoc casu est vera sententia in 2. relata. Et in proprijs terminis ita sultinet Abb. eo. c. penultimo. nu. 17. dicès eum textum habere verum, etiam vbi non est tertij præiudicium, sed posterius priuilegiu est absq. moderatiõ: in priori adhibita. Idem docet Bellemera ibi. nu. 4. in de inferens cauedum ijs, qui super ætatis, aut natalium, aut aliorum defectibus, aut aliis contra ius cõmune gratias moderatas, seu priuilegia moderata impetrarunt, & postea ampliora, vt in posteriori gratia prioris mentionem faciant, ne posterior sit subreptitia. Idem Imola ibi num. 6. in de inferens, vbi priuilegium partim ius commune continet, partim autè est contra ius, secudum ex toto iuri communi aduersum non valere, nisi primi mentione facta. Et Rota in nouissimis, tomo 3. lib. 3. decisione 91. nu. 3. ait hoc procedere in quibuslibet priuilegijs, & concessionibus. Idem tenent loquentes de priuilegijs Bartholom. Socinus consil. 246. nu. 4. volum. 2. Menochius de arbitrarijs, lib. 2. centuria 3. casu 203. nu. 35. Gutierrez lib. 2. q. canonic. c. 15. nu. 92. Idè docent loquentes de legitimatione Bartholom. Socin. consil. 65. num. 12. volum. 3. Ruin. consil. 82. nu. 13. & consil. 99. fine, volum. 3. Curtius Senior consil. 73. nu. 15. ad finem, & nu. 9. & 17. Tello. 1. 12. Tauri. nu. 42. Matienzo lib. 5. Recopil. tit. 8. l. 10. glossa 1. nu. 14. Et sicut Nauar. lib. 4. consil. tit. de consanguin. in 1. editione, consil. 5. fine, in 2. consil. 8. fine, nam dicens dispensationem in consanguinitate non esse subreptitiam, nõ facta mentione prioris factæ in ordine facerè, ponderat ad id, eas esse dispensationes diuersas, & per vnâ non reddi alteram ampliores: quasi censens contrarium fore vbi amplior redderetur.

7 Et hoc non solum est verum in dispensationibus Põtificijs, de quibus agit textus cap. 2. de filijs presbyt. in 6. sed etiam in dispensationibus ab inferioribus cõcessis. Vt bene docent ibi Glossa. ver. sedem: & ibi Dominicus nu. 7. Fracus. nu. 5. Quia ratio in eod textu expressa militat quoc. in his. Simili ratione quauis is textus loquatur de



impedimento naturae illegitimitatis, extrationis identitate trahendus est, ut intelligatur quoque de quouis impedimento accidentali. Ut bene Domin. ibi num. 4. Francus num. 5. aduertunt.

Imò hoc est verum, quanuis in dispensatione posteriori amplius concessa sit clausula, motu proprio, & ex certa scientia: adhuc enim erit subreptitia non facta prioris strictioris mentione. Quod etiam motu proprio subreptionem tollat, non tamen defectu intentionis suppleat (ut diximus disput. precedenti num. 52.) At dispensatio hac cotruit ex presumpcio intentionis defectu. Ut dixi num. 4. & 6. Sic Tello. l. 12. Tauri num. 42.

Limitatur tamen ab aliquibus hoc, ut verum sit quoties moderamen in priori dispensatione appositum est proprio motu illam concedentis, aut ad instantiam diuersa persona ab illa, cui concessa est: & tunc is cui concessa est, nouam sibi dispensationem impetrat absque illa moderatione, ac priori dispensatione tacita: tunc enim hæc est subreptitia. Secus si ipsemet, qui tunc moderatione petierat, nunc impetrat absque ea. Cum enim hic possit absque moderatione petere, nunc per puram petitionem el renunciat. Et cum ea non processerit ex proprio Principis motu, non videtur fore ut moderatio prius adhibita eum retraheret à posteriori absoluta concessione. Sic tenet dicens forte esse verum Felinus cap. penultimo num. 2. de prescript. & idem affirmat Ruinus consil. 161. num. 3. volum. 2. Sed merito citatis Ioanne Andrea, & alijs hanc limitationem reprobandi dicentes aberrasse hos auctores, Curtius senior consil. 73. num. 9. & 17. Tello. l. 12. Tauri num. 42.

Quia qualitercumque semel cum limitatione gratiam concesserit Princeps, non est credendum eum ita facile prioris dispensationis tenorem mutaturam.

Secundò limitatur, nisi concedens posteriorem gratiam absque dicta moderatione nosset prioris limitationem. Quia semper solet apponi De curia stylo. Quod tunc nequeat contraria voluntas cõijci, cui subreptio ex tali tacturnitate innitur. Sic Felinus cap. penultimo numer. 2. de prescript.

Hinc fit si quis voti castitatis dispensationem impetret cum limitationibus solitis apponi De stylo curia, nempe, ad vnicum matrimonium, & commutatione facta in mentibus confessiones, ac alia pietatis ope-

ra, si postea tacita hac impetret aliam absolutam, fore hanc posteriorem validã. Quia cum ea limitatio De stylo curia solet apponi, non latet Pontificem. Et quauis singularis dispensationis huic persona cõcessa immemor sit, ac prædicta moderatio in ea apposita, cum tamen solet de stylo curia apponi, nec Pontifex apponat, signum apertum est voluntatis concedentis absolute.

Tertiò limitarem, nisi ex noua causa, eaque sufficienti posterior dispensatio peteretur. Quia cum tunc noua, sufficientiq; causa concurrat, nulla fraus Principi fit, tacita prioris dispensationis moderatione. Nec contraria eius voluntas iustè præsumi potest. Quod tenent etiam in fortioribus terminis, nempe, quando est præiudicium successorum in maioratum, Molina lib. 4. de primog. cap. 3. nu. 42. Guier. q. canon lib. 2. cap. 15. num. 195. dicentes subreptam esse posteriorem alienã; hypotheçadi ve bona maioratus licentiam, non facta prioris ad id concessa mentione, nisi ex noua, sufficientiq; causa prioris licentia impeteretur. Quod idem asserit alter Molina tomo 3. de iustit. disp. 650. nu. 4. bene limitans, quando arbitrio prudentis spectatis circumstantijs occurrentibus iudicatur fore ut ex ea secunda causa Princeps concederet licentiam prioris memor. Secus si merito timeretur eum denegaturum. Sic ergo in nostro casu, quando talis est causa de nouo superueniens, ut iure optimo præsumatur Principem posteriorem gratiam absque moderatione concessurum, non obstanti prioris moderationis scetia, valebit posterior dispensatio absoluta. Secus vbi id non præsumitur.

Hinc fit, si femina ex dispensatione Papæ consanguineo nubat, & eo matrimonio soluto aliam dispensationem obtineat ad nubendum alij consanguineo, tacita priori, validam fore hæc dispensationem. Quia si manet idem doris defectus, qui causam præbuit priori dispensationi, reputatur noua causa respectu posterioris dispensationis. Item quia cum animus Pontificis sit, in simili dispensatione consuleri pauperatæ feminae, credi nequit eius animum à concedenda posteriori retardãdũ, quod prioris cõcessisset. Imò idem credo, quauis hæc posterior aut vtraque dispensatio esset petita, ac concessa nulla allegata causa sed motu cõpositione pecuniaria exacta ad vsus publicos. Et idem dico, licet femina resisteret

volens priori consanguineo nubere, ac impetret posteriorem dispensationem ad nubendum alij. Credo enim in vtroque casu non esse necessariam prioris mentionem dispensationis. Quod sint super diuersis matrimonijs, & neutra habeat connexionem cum altera. Et sic non est necessaria prædicta mentio. Iuxta tradita nu. 5. Adde esse dispensationes super diuersis, nec priorem augeri per posteriorem. Ut in simili ponderauit Nauarrus num. 6. sine allegaturus.

Tandem inferitur, minus verum esse, quod tradit Menochius de arbitrarijs, lib. 2. c. 2. curia 3. casu 203. num. 6. vbi ait imperarium legitimatibus subreptitiam fore, si semel ea petita, & à Principe denegata, quando postea impetratur, non fiat mentio prioris denegationis. Nec Doctores, quos pro se referit, id asserunt, sed tantum faciendam esse mentionem prioris dispensationis cum moderatione concessa, quando posterior est absolute cõcessa. Nec aliquo iure, aut ratione probatur in dispensatione, prioris denegationis faciendam esse necessario mentionem.

Difficultas tamen est, an vbi posterior dispensatio subreptitia est, eò quod prioris strictioris non sit mentio facta, neutra valeat deinceps, an sola hæc posterior? Videtur enim neutra valere. Non prior, quia per impetrationem posterioris, illi renunciat. Non posterior, quia est subreptitia. Sed dicendũ est, dupliciter posse peti hanc posteriorem dispensationem; Primò modo, ad prioris corroborationem, eò quod scruipulus, aut debium de prioris valore urgeat. Secundò modo, ad priorem, quæ limitata erat, augendam. Et quidem quando primò modo est petita, constat inter Doctores solam posteriorem corruiere, priori in suo valore perseveranti. Quod nec impetrantis, nec cõcedentis intentio fuerit derogare iuri quæsitò per priorem dispensationem: & tantum absque ut impetrans intenderit priori renunciare, ut potius eam confirmare intenderit. Et sic docent Innoc. cap. penultimo num. 5. de prescript. & ibi Host. nu. 12. initio. Ioan. Andr. num. 16. Baldus num. 13. Bellemera num. 6.

Hinc deducitur quid dicendũ sit in hac questione. Quidam impetravit dispensationem, & ob aliquos scrupulos sibi obiectos impetravit aliam, quæ concessa est sibi cum aliquibus moderationibus dubitatum est an postea certior factus de valore dis-

pensationis prius impetrata, possit ea vitari? Quidam iuris peritus Romanus id negauit. Doctus est, quod per posterioris gratia impetrationem visus sit nolle priori vitari. Atque gratia semel repudiat non potest amplius acceptari. Sed ex dictis nu. præcedenti constat integrũ ei esse vitari priori gratia. Quod ei non visus sit renunciare: ut potest, qui posteriorem ad prioris confirmationem impetravit. Et si noluit priori vitari, non fuit ea voluntas absoluta, sed ex errore processit, & supposito prioris vitio.

Quando autè posterior dispensatio amplior non est impetrata ad prioris confirmationem, sed ad illam augendam: quibusdam placet neutram valere. Non posteriorem, quia est tacita prioris strictius concessa. Non priorem, quia per posterioris impetrationem illi tacite renunciatum est. Quippe solus animus ad proprii iuris renunciationem sufficit. Ut constat ex cap. penultimo, de prescript. vbi deciditur impetrantem priuilegium prescriptioni aduersum, videri renunciare iuri prescriptionis. Et addit textus hæc verba. *Præsertim cum coram nobis priuilegio sit vsus.* Dicitio enim, præsertim, denotat idem esse in casu contrario. Ut notatur cap. auditis, de elect. & c. quoniam frequenter, vt lite non contest. A quo ita docent Innoc. eo cap. penultimo num. 5. Host. num. 11. sine. Ioan. Andr. num. 15. Abb. 18. 19. 20. Bellemer. num. 7.

Sed magis placet valere adhuc priorem dispensationem. Quia cum posterior non valeat, minimè derogat priori. Nec animus impetrantis censetur esse renunciandi priori, nisi quatenus posterior valida est. Ut probatur ex l. si iure 18. ff. de legat. 3. ibi: *sed vix id obtinere potest, fortassis id eo, quod ita de num. à priori testamento recedere velit, si posterius validam sit.* Nec obstat cap. penultimum, de prescript. quia ibi est sermo de priuilegio valido prescriptioni contrario. Et ideo hanc sententiam tuetur ibi Baldus num. 12.

Hinc deducitur, quid dicendũ sit quãdo quinquem dispensatione ducenta & con sanguineæ obtenta, noluit eam ducere; sed obtinuit dispensationem ad ducendam aliam: an obtenta hac posteriori, liceat illi priori vitari? Credo priorem dispensationem euauisse per huius posterioris si valida fuit, impetrationem: licet ea non sit vsus ducendo posteriorem consanguineam. Quia licet per secundum matrimonium ad quod non interfuit dispensatio, non videatur quod non



clari dispensationi (vt dicemus disput. 3. 2. nu. 6.) at fecus credo per impetrationem posterioris dispensationis. Quod constat ex dictis duplici num. precedenti, & Doctoribus ibi allegatis. Præterea, quia cum dispensationes hæc simul stare nequeant, sed repugnent quoad executionem, per impetrationem posterioris visus est impetrans renūciare priori in manus Pōtificis, à quo posteriorem impetrauit. Iuxta dicta duplici num. precedenti. Et ita amplius ea vti nequit, sed sola posteriori dispensatione. Quam non esse subreptitiam, eod quod de priori mentione non fecerit, diximus num. 13. Tandem, quia esto animus impetrantis fuerit nolle renūciare priori dispensationi, at Pontifex noluit concedere duplicem dispensationem, vt vtraq; faret, & ad libitum posset vtriusq; vti impetrans. Et si id peteretur, denegaret vtriq; tãquam rationi valde dissonans.

20 Secunda conclusio. Si impedimentum matrimonij ex crimine cōsurgat, vt quod in coniugis necem machinatus sit, vel adulteratū sive matrimonij data, & semel eius impedimenti dispensatione quis obtinuerit, si dissoluto eo matrimonio in idem impedimentum incidere, tenetur in dispensatione posterioris impedimenti facere mentionem prioris dispensationis, in hæc posteriori subrepticia. Secus si ex distincto crimine impedimentum cōsurgat. Vt quia alterum fuit machinationis, alterum adulterij cū fide. Prior pars probatur ex dictis nu. 2. in 3. ratione: vbi ex multis probati- mus iteratam eiusdem criminis remissionem indigere mentione prioris, ne subrepticia sit. Cùm ergo in hoc euentu sit iterata criminis matrimonium dirimentis remissio, auferendo pœnam illi iure statutã, opus erit prioris dispensationis mentione. Posterior pars probatur, quia quauis vbi diuersæ speciei sunt crimina, vt alterū surti, alterum homicidij, nonnulli censent superferendum esse iudici, donec Principem consulat, si in posterioris remissione taceatur prioris remissio. Hi sunt aliqui quos refert, & sequitur Menochius de arbitrar. lib. 2. centuria 3. casu 203. n. 3. Alij autem cōsentiūt posterioris remissionem esse subreptitiam. Sic Auendaño tractatu de iniuria num. 3. Azebedo lib. 4. Recop. tit. 14. l. 5. num. 3. At verius est non esse necessariam eam mentionem. Quod lex 3. C. de Episcop. audi. dum decidit crimen semel remittendū, manifestè loquatur de eodem

crimine repetito. Vt bene docent Nauar. lib. 1. consil. in vtriq; editione tit. de constitution. consil. 1. q. 19. num. 53. Couar. lib. 1. variar. c. 20. nu. 3. Bossius practica tit. de remedijs ex sola clementia Principis num. 35. Padilla. l. transigere num. 69. C. de transactio. Gutier. q. canon. lib. 2. cap. 15. nu. 89. Cùm igitur in hoc casu diuersa sint crimina, in posteriori dispensatione circa alterum, non erit necessariò mentio faciendã dispensationis in altero concessæ. Imò quando est eiusdem criminis repetitio, ac prioris dispensationis visus non extiterit, quia id matrimonium inuitum non est: credo in posterioris criminis dispensatione non opus esse prioris mentione. Quia cùm prior ad effectum perducta non sit, perinde est ac si crimen prius remissum non foret.

21 Ultima conclusio. Quando prior dispensatio, prius vti priuilegium, sunt irrita, non est necessaria illorum mentio in posteriori. Quia cùm illa nullius valoris sint, perinde videtur ac si impetrata non essent. Nec enim præstat impedimentum, quod de iure non fortitur effectum regula non præstat, de regul. iuris, in 6. Quam extendi quoq; ad priuilegia, & gratias docet ibi Glossa verb. nõ præstat. Bellemera decisione 543. num. 6. Atq; ita de literis irritis loquētes docent Glossa cap. suggestum verb. posterioris, de iurepat. & cap. cum nostris verb. de factis, de concess. præbendæ. Et cap. ex tenore verb. negotio, sine de rescript. vbi Abb. num. 6. Felinus num. 2. Decius in noua editione num. 19. & cap. oblatæ num. 11. notabili vltimo, de appellat. idem Felinus cap. 1. num. 13. de rescrip. Dominicus cap. quoniam, colum. 4. vers. super tertio d. 18. Barbatus consil. 43. nu. vltimo, volum. 3. Neuzia consil. 3. 6. nu. 16. Rebuffus de consil. Regijs, tomo 2. in præfatione nu. 95. Mascardus multos allegans de probat. cōclusi. 846. num. 20. & sequentibus. Flaminus de confidentia benef. q. 46. nu. 28. Et ob eandem doctrinam non esse opus mentione clausulæ irritæ rescripti, tradunt Iason. l. 1. num. 1. C. si contra ius. Molina lib. 4. de primog. cap. 3. nu. 32. Gratian. regula 229. num. 12. Alter Molina tomo 3. de iustitia, disp. 65. 6. num. 2. Quauis Goffredus, quem refert, ac sequitur. D. Antonius 1. p. tit. 20. in regula, non præstat, sentiat absq; sufficienti fundamento esse necessariò mentionem faciendam de priori rescripto irritato. Et Corduba summa q. 45.

opinio

opinio 2. p. 1. sine agens de dispensatione quadam subrepticia ad matrimonium obvenia, at eam narrandam necessariò Pōtifici esse in posteriori dispensatione. Sed hoc non est vniuersaliter verum. Vt constat ex dictis num. sequenti.

22 Limitant aliqui hæc conclusionem, vt intelligatur quoties prius rescriptum irritum fuit impetratū ab vno ex aduersarijs, & posterior ab altero. Secus quando vtrūq; ab eodem impetratum est. Tunc enim est narrandum prius. Sic Menochius de arbitrar. lib. 2. casu 203. sine: ac refert profer Dominiacum consil. 141. num. 1. vers. in contrarium ostenditur, vbi loquens de literis gratiæ afferitur. Sed ait Menochius ex ipsius ratione colligi idem dicendum esse de iustitiæ literis. Et rationem huius tradit Dominicus, quia si legitime impetrans priorem gratiam validam, tenetur de illa mentionem facere, à fortiori tenebitur in quæ impetrans priorem irritam. Ne melioris conditionis sit iniquus, quàm legitimus impetrator. Contra textum cap. eum, qui, de præbend. in 6. Ex qua ratione colligitur qualiter limitatio hæc intelligenda sit: nimirum, quando si prius rescriptum validum foret, erat necessaria ipsius mentio in posteriori: quia illud erat cum limitatione, hoc autem absolutum. Et tunc verisimum cenfeo esse mentionem faciendam prioris gratiæ subrepticiæ, quauis impetrans nullam in subreptione admisisset culpam. Ne illa impetratio irrita maiori gaudeat priuilegio, quàm valida. Deinde, quia cùm Pontifex quatuor est ex parte sua voluerit priorem gratiam valide, & limitatè concedere, non est credendum fore vt prioris memoriter sententiam, concedendo absolute

DISPUTATIO VIGESIMATERTIA.

An quando plura concurrunt impedimenta, oporteat omnia illa in eadem dispensatione referre, an sat sit in diuersis.

SVMMARIVM.

Resertur quedam sententia num. 1. Quid, si ignoranter non sint narrata omnia in eisdem literis num. 3. An ligatus voto castitatis, vel religionis, vel non inuendū matrimonij cū consanguineis, si consanguineo am ducere velit, tenetur in eadem

posteriore. Quæ est ratio ob quam rescripti validi limitati esse in posteriori ampliori mentionem faciendã, diximus nu. 6. At quando vtraq; dispensatio est cum eadem moderatione, cùm tunc nulla opus est mentione prioris valide, idem quoq; dicendū erit, quando prior est irrita. Quia iam cessat ratio tradita. Quare caute Decius cap. ex tenore, in noua editione num. 15. de rescript. limitationem hanc non ita absolute ac Dominicus posuit, sed dixit prioris rescripti irriti non esse opus mentione, nisi inde contingeret fore melioris conditionis delinquentem. Vnde si non sit impetrans narrare prius rescriptū subreptitū, petat posterior cum eadem moderatione, cum qua prius concessum est.

23 Sed dubitabis, an eadem posterior dispensatio amplè concessa est irrita, eod quod tacita sit prior subrepticia limitatio, iuxta dicta num. precedenti: si hæc posterior in totum cassã, an in ea sola parte, in qua prioris moderamen excedit? Videtur enim ad id valere. Quod idè subreptione notetur, quia excedit priorem: & in excessu est inuoluntaria ex parte Pōtificis, qui de prioris moderatione certior factus illa non concederet cum eo excessu. Ergo quoad illam moderationem est vtilitatis, & valida. Sed existimo totam posteriorem corrumpi. Quia cùm sit vna ea dispensatio, ac super vnicò impedimento, subreptio in illa admittitã, cendo veritatem necessitatè explicandam, vitiat totam iuxta dicta disput. precedentij num. 18.

24 Ad argumenta num. 2. proposita cōstat ex dictis. Nam. 1. & 2. solum probant quod diximus num. 6. vt ibi ostendimus. Et 3. probat quod falsi sumus num. 20.

dispensatione vtriusq; impedimentum narrare: num. 4. & ibi, quid, quando sublato vno impedimento, superuenit aliud? An ligatus voto, & iuramento possit in diuersis literis dispensationem petere? num. 5. Quid, si ligatus sponsalibus velit aliam propriam consanguineam ducere? num. 6. & ibi, quid, si habeat votū impediens emissi ante pubertatē?

Quid,



Quid, quando alterum impedimentum est publicum, & alterum occultum ex casu manifestatione sequitur infamia? num. 7.  
 Quid, si ex manifestatione impedimenti occultum non oritur infamia? num. 8.  
 An possit unum penitentia exigera compositionem solvendam, si copula illa occulta proponatur in foro externo? num. 9.  
 Solvantur argumenta num. 10.

**H**ac in re duplex est sententia. Prima censet satis esse in diversis dispensationibus diversa impedimenta proponi, & quamlibet illam validam esse quoad impedimentum in ipsa explicitum. Vt si qui sint simul consanguinei, & affines, poterunt in quibusdam literis consanguinitatem pro parte tacita asserere, & in alijs hanc, illa tacita, & vtraque dispensatio valebit quoad vnum impedimentum. Ducitur primò, quòd nullo iure caueatur, vt in impetratione dispensationis vnus impedimenti mētio de alijs impedimentis fiat. Secundo, quia valet impetratio abolitionis ab vna ex communicatione, non facta mentione de alijs quibus idemmet ligatur. Vt communiter tradunt Doctores cum Glossa cap. ex parte verb. redire, de offic. ordin. Tertio, quia pāsim contingit in Curia impetrari dispensationem in quodam matrimonij impedimento, non facta mentione de alio: ac postea impetratur dispensatio super alio. Atque vtraque reputatur valida. Quem stylū refert Nauarr. stam allegad. Quarto, quia (vt dixi dispensationem criminum, vt furti, & homicidij valet seorsum facta: nec in vnus impetratio est necessaria alterius mētio. Quinto, quia alijs cogeretur quis iacturam propriae famae, ac faminae facere, explicando proprium incestum occultum cum sorore consanguinea sua, ac femina consanguinea, quam ducere vult, aut nequiret dispensationem validam impetrare. Sexto, quia alias ligatur voto castitatis volens ducere consanguineam, non posset prius validam voti dispensationem impetrare. Et si id sit ex ijs, in quibus Episcopus dispensat, vt non nubendi, vel penale castitatis, non posset huius ab Episcopo dispensationem petere: & postea a Pontifice consanguinitatis. Et ideo hanc sententiam sustinent loquentes de duplici impedimento, quorum alterum dirimit matrimonium, alterum verò tantum impedit, Nauarr. lib. 4. consil. in

1. editione tit. de sponsal. consil. 2. num. 1. & tit. de consanguin. consil. 1. numer. 2. & consil. 2. num. vnico: & consil. 4. num. 2. 3. & 4. in 2. editione, eodem tit. de consanguin. consil. 1. nu. 2. & consil. 8. num. 2. 3. & 4. & consil. 9. nu. 2. consil. 10. nu. 1. Henriquez addens in foro externo eam dispensationem non admitti, lib. 12. de matrim. cap. 2. num. 4. in commento, litera Z. & cap. 11. num. 2. Petrus de Ledesma de matrim. q. 59. art. vltimo, dubio 2. diff. 3. post. 3. conclusionem, corollario. 1. Cavallos, q. practica. q. 737. num. 27. Manuel. 1. tomo summae in 2. editione cap. 238. num. 5. Vega 2. tomo summae cap. 34. casu 97. ad finem. Et loquentes de duplici impedimento dirimenti idem docent Nauarrus lib. 4. consil. tit. de consang. in 1. editione, consil. 2. nu. 2. & 3. in 2. consil. 7. num. 2. & 3. Henriquez lib. 12. de matrim. cap. 13. num. 8. & quauis ibi loquatur, quando ex ignorantia vnum tacetur: at in commento, litera N. ait idem esse, si scilicet taceatur. Manuel. d. 238. nu. 1. Emmanuel Sa summa verb. dispensatio num. 16. explicans licet vtrumque impedimentum sit publicum. Et fauet valde huic sententiae, quod docet Ioan. And. in arbore asinitatis. §. ad arborem asinitatis num. 5. habetur tomo 9. tractatum neulorum) vbi ait quando asinitas, & publica honestas matrimonio inuendo obstant, ac sola illa explicatur in dispensationis petitione, illam manere sublatam, & non hanc. Et quòd alterum impedimentum dirimens est publicum, vt consanguinitatis, alterum autem secretum, vt asinitatis ex copula fornicaria, satis esse impetrare à Pontifice dispensationem consanguinitatis tacita asinitate: & à penitentia asinitatis non narrata consanguinitate, docent Nauarr. lib. 1. consil. in vtraque editione tit. de consil. consil. 1. q. 19. num. 49. & sequentibus. Grassi 1. p. de consil. lib. 2. cap. 31. num. 13. Et cum hac sententia tot patronos habeat, & rationes non parui momenti est probabilis, nec potest in se damnari, qui illam amplecteretur: nisi tunc impedimentum in eadem persona concurreret, vt iuste possit credi Pontificem non dispensaturum ex causis sibi propozitis, si tot impedimenta concurrere nosset.

Secunda sententia (cui tanquam longè probabiliori accedo,) asserit necessariò in eadem dispensatione esse mentionem plurimum illorum impedimentorum faciendam, ne dispensatio subreptitia sit, ac nullius

proflus valoris. Ductor, quod in dispensatione ne subreptio vnò notetur, narranda sint omnia, quae iure iubentur exprimi (vt diximus disp. 21. nu. 13.) At quòd libet impedimentum dirimens iure iubetur exprimi: Dices non exprimi in iure, vt in eadem dispensatione vtrunq; impedimentum declaratur. Sed respondeo quauis id non expressis his verbis in iure contineatur, at è ipso q; iura praecipunt omnia impedimenta Pontifici exprimi, nilq; taceri ex ijs, quae ad dispensationem intrinsecè conferunt, praecipunt subinde omnia impedimenta in eadem dispensatione exprimi: Quia aliquo tacito verum esse dicere taceri veritatem intrinsecè conferentè ad dispensationem: Et confirmatur, quia nec impedimentum in dispensatione narratum exprimitur pro vt patet. Quippe coniunctum cum altero impedimento tacito conficitur vinculum longè strictius, ac difficultioris dispensationis. Vt constat ex cap. ex iuratum, de author. & vsu pallij. cap. 1. de regula, & pace. cap. pātoralis, de priuileg. Idq; docet principium physicum diuans virtutem vnitam fortiosem esse se ipsa dispersa. Quare merito, ac iure optimo Pontifex vtriusq; vinculi conscius hæreret maturius pendens an eius concessio expediret. Et confirmatur ampliùs, quia absurdum videtur admittere, validam esse dispensationem laborantis octo impedimentis dirimentibus, decepto Pontifice, petitis ab ipso octo dispensationibus seorsum. Quippe Pontifex facillimo negotio eas octo personis concederet: at vni nullatenus concederet. Nam (vt rectè aiunt Baldus. l. Barbarius num. 8. vers. 4. contra hoc. ff. de officio praetor. & Ripa responsio 14. de rescript. num. 1. r.) non presumitur Principem velle promouere odiosos, ac multipliciter criminosos. Quod ad multiplex iure impedimentum habentes, quauis ex delicto non nascatur, rectè adaptari potest. Cum ij iure censentur odiosi ad matrimonium illud multipliciter impeditum inter se celebrandum. Secundo, quia Pontifex dispensans in vno impedimento sibi proposito, decipitur in re necessaria, quoties plura subsunt impedimenta. Quippe merito existimat contrahere volentes nullo alio impedimento laborare, argumento ex l. qui testamentum, in principio. ff. de testam. ibi. si aliud eos nil impedit. & cap. 1. de atat. & qualitat. in 6. ibi. si aliud non obstat. Tertio, quia quoties dispensatio est vnica, & indi-

uidua, vniatur proflus ita vt nec partim valeat, quando taceatur veritas intrinsecè dispensationis, vel narratur falsitas (vt probauit disp. 21. num. 72.) At dispensatio haec est indiuidua ad vnicum matrimonium incedendum, & in vnicò impedimento expresso. Cum ergo veritas alterius impedimenti, quae necessaria est, ac dispensationi intrinsecè taceatur, tota dispensatio corruet. Et confirmatur, quia aliàs dispensatio valida esset, si data opera hic mentiretur proponens vnum impedimentum, ac dicens nullum aliud se habere. Nam si veritas illius impedimenti non est necessario explicanda in ea dispensatione, erit mendacium circa rem non necessariam. Quod non vitiat dispensationem, sicut nec confessionem sacramentalem (provt diximus disp. 21. num. 74.) Quippe perinde irritatur dispensatio ex tacentitate veritatis necessaria, ac ex mendacio circa illam. Quod valde absurdum videtur. Et ideo pro hac sententia faciunt Abb. cap. non debet num. 12. de consang. & ibi Alex. de Nemo num. 11. Præposit. num. 18. Brunellus de sponsal. conclusionem 26. num. 3. Supplementum. Gabrielis 4. d. 41. q. vnica. art. 3. dubio 7. Stephanus Costa tractatu de asinitate. §. inter impedimenta num. 3. Rosella verb. impedimentum, impedimento 12. num. 2. Sylu. verb. matrimonij 8. q. 1. dicto 3. Fabiana verb. impedimentum, impedimento 11. ad finem. Loazes de matrimonio Regis Angliae, dubio 10. num. 32. vbi aiunt non valere dispensationem concessam explicata sola asinitate, quando adest publica honestas. Ac si crederent valere quoad impedimentum expressum, non dicerent absolutè non valere. Et similiter facit Baldus. l. si non lex, statim in principio. ff. de hered. institutio. vbi ait non valere literas si per eas remoueantur certa obstantia non tamen omnia. Et in proprijs terminis tenent hanc sententiam Dominicus consil. 33. pro excommunicatione, à num. 2. Decius consil. 602. visio, punto num. 19. dubio 7. volum. 5. Zephalus consil. 639. à nu. 39. vsq; ad 44. volum. 5. Mandosius de signatura gratiae tit. dispensationes matrimoniales, ad finem vers. reliquit eum. Menochius de arbitrarijs, lib. 2. centuria 3. casu 203. num. 12. Gallego de cognat. spirituali cap. 23. num. 6. Petrus de Ledesma summa sacram. vbi de matrim. c. 27. post 6. conclusionem, difficultate 1. Imò loquentes de duplici impedimento, quorum alterum est dirimens, alteru verò



impediens, dicunt dispensatione esse omnino subrepticam, nisi utrumque simul exprimat. Couar. 4. decret. 2. par. cap. 6. §. 4. sine. Gallego de cogn. spirit. cap. 24. num. 7. Petrus de Ledema de matrim. q. 56. art. 2. dubio 1. in solutione ad 2. Ludouicus Lopez 1. p. instrum. cap. 296. column. 15. vers. igitur pro expeditione, & 2. par. vbi de matrim. cap. 46. impedimento 4. folio 110. colum. 1. sine.

3. Nec refert an scienter, siue ignoranter alterum impedimentum in ea dispensatione tacitum sit. Quia quando est vnica dispensatio non continens diuersas partes, nil refert si veritas necessario explicanda taceatur ignoranter, siue scienter (vt dixi disp. 2. 1. nu. 72. §. 6.) Sed id tantum est refert quando dispensatio diuisibilis est, vt potest, quae diuersas continet partes. (vt dixi eodem nu. 55.) At haec dispensatio vnica, & indiuisa est, nempe, in vno impedimento, & ad vnum matrimonium. Subreptio ergo admittenda veritate, siue scienter, siue ignoranter, totam vitabit dispensationem.

4. Hunc deducitur. 1. ligatum voto religionis, aut castitatis, aut non ineundi matrimonij, vel illius non ineundi cum consanguineis, si velit nondum ablato per dispensationem voto, impetrare Pontificiam dispensationem ad ducendam consanguineam, vel aliam foeminam, cum qua habet impedimentum dirimens, teneri in eadem petitione explicare Pontifici id votum, cum alio impedimento dirimenti, & eo tacito dispensationem impedimenti dirimentis fore subrepticam. Secus autem si prius voti dispensationem impetrare velit a Pontifice, vel etiam ab Episcopo, casu quo potest Episcopus: poterit enim solum votum explicare, & impetrata illius dispensatione, petere seorsum dispensationem in speciali illo impedimento, quo erga foeminam laborat, tacito voto. Ratio differentiae est, quod in hoc posteriori casu nec dispensatio petatur, nec eod pertinet, vt vouenti liceat virtute illius ducere foeminam erga quam est speciale impedimentum, nec ad aliquod matrimonium peculiare est: sed tantum vt vouens sit licite ineundi matrimonij capax: vel si fuit votum non ineundi cum consanguineis, vel non cum hac speciali consanguinea, (dato id votum esset validum,) solum petit virtute huius dispensationis in voto, eximi ab ea obligatione voti, quam obligationi iuris communis superaddidit sibi: nec ea dispensatione obtenta fas est sibi

consanguineam, vel aliam cum qua impedimentum habet ducere. At ad haec nullum aliud impedimentum est, nisi solius voti. Ergo eius solius metio facienda est. Et cum iam voti obligatio sit per legitimam dispensationem ablata, quod rursus petitur dispensatio ad inendum cum hac consanguinea, solum obstat huic matrimonio impedimentum consanguinitatis, vel cuiuscumque alterius impedimenti dirimentis. Nec est necessarium dispensationis prius concessa mentionem facere: quod sint circa diuersa, & vna non excedat alteram. Iuxta dicta disput. praecedenti num. 5. Ergo satis est sola impedimenti huius dirimentis narratio. At in priori casu sunt duo impedimenta ad illud speciale matrimonium, cuius dispensatio petitur, alterum illud dirimens, alterum impediens illius voti. Ergo utrumque in eadem dispensatione narrandum est, ne subrepticum sit. Iuxta tradita num. 2. Quare idem dicendum esset, si sublato vno impedimento dirimenti superueniret aliud, satis enim esset in posteriori dispensatione solius superuenientis mentionem facere tacita priori dispensatione. Quod militet eadem ratio: tunc enim vnicum obstat impedimentum, & dispensationes sunt circa diuersa. Vt si quis obtenta dispensatione ad ducendam consanguineam, & expedita iam per ordinarium, contraheret cum illa affinitatem cognoscendo eius fororem, satis esset aliam huius solius affinitatis mentione facta dispensationem impetrare. Dixi, expedita iam per ordinarium, quia eadem antea nondum perfecta sit prioris impedimenti dispensatio, nec possit expediti superuenienti affinitate, eod quod iam sint duo impedimenta: esset necessarium aliam dispensationem a Pontifice impetrare, in qua utrumque simul impedimentum explicetur: ne subrepticum sit.

5. Secundo deducitur, si votum & iuramentum de eadem re concurrant, casu quo dixi disp. 2. num. 23. esse explicandum vtrumque vinculum, fore dispensationem subrepticam omnino, ac nullius valoris, nisi utrumque vinculum simul dispensanti explicetur. Quod sint duo diuersa vincula, & ita procedit quod num. 2. diximus.

6. Est tamen sententia haec temperanda primo, vt intelligatur quando vtrumque impedimentum sola dispensatione tolli potest, quando enim potest alia via, non est opus nisi solum quod dispensatione indiget, dispensanti explicare: & alij impedimento

potest

potest alia subueniri. Verbi gratia, quis ligatus sponsalibus de futuro cum quadam foemina, vel voto castitatis, aut religionis ante pubertatem emisso, nec postea ratificato, vult consanguineam ducere, solius consanguinitatis tenetur facere mentionem: & postea, vt licite consanguineam ducat, obtinere debet remissionem sponsalium a foemina, cui fidem dederat: & irrationem voti illius a parentibus, vel tutoribus. (nam iuxta probabiliorum sententiam possunt irritare, licet vouens sit iam pubes, dummodo post pubertatem non ratificauerit.) Ducor, quod cum horum impedimentorum dispensatio necessaria non sit, sed alio modo possit eis occurrere, non est opus ea dispensanti narrare cum impedimento, quod dispensatione eget.

7. Secundo temperatur, nisi alterum impedimentum sit occultum, & eius generis, vt ex manifestatione sequeretur infamia: tunc enim non est necesse vtrumque impedimentum proponi Pontifici, sed satis est illi proponere publicum, vt in foro externo dispenset, occultum autem sacrae penitentiae, explicato quoque impedimento publico illi, super quo Pontifex dispensauit. Vt si quis velit ducere propriam consanguineam, cui affinitate quoque occulta coniunctus est, ratione copulae occultae cum eius forore. Et ratio est, quia pie, & iure optimo ea creditur intentio Pontificis, ne similibus casus remedio dispensationis destitutus sit: vel cogantur hi crimen occultum in foro externo prode, cum propriae famae iactura, ac periculo, vt erimen illud sic explicatum deferatur ad iudicium seculare, & damnentur poenis incestui iure statutis. Dixi autem esse necesse vtrumque impedimentum declarari sacrae penitentiae. Quia cum in ea dispensatione non contineantur nomina contrahentium, manet adhuc occultum crimen, ac vtrumque impedimentum notum sit Pontifici, cum quo consultatione habita dispensat penitentiae: & perpendit an dispensare expediat, neene, concurrenti eo duplici impedimento: ac proinde nil contra Pontificis mentem impetratur. Et sic tenet Petrus de Ledema summa Sacrament. vbi de matrimo. cap. 27. post 6. conclusionem, difficultate 1. Et ita consulta sacra penitentiarum Romana responsum est hoc sufficere, & esse necesse. Et ego vidi ipsas Penitentiarum subscriptiones. Quare minus bene Doctorum num. 1. sine relati dixerit satis esse pe-

nitentiae detegi impedimentum occultum. Nec refert, siue prius proponatur vtrumque sacrae penitentiae, & postea publicum Papae, siue contra. Quia idem est effectus, & vtroque modo intentioni Pontificis satisficit. Et ita his diebus venit ad manus meas dispensatio sacrae penitentiae in huiusmodi casu, vbi affinitas occulta contracta erat cum consanguinea, & tenor commissiois sic se habebat: *si est ita, dispensa postquam cum ipso, & dicta forore super consanguinitate huiusmodi impedimento dispensatum fuerit.* Vbi supponitur nondum dispensatum esse per Pontificem in consanguinitate. Et similiter credo posse tunc confessarium cui sacra penitentia hoc committit, dispensare in ea affinitate, licet nondum impetrata sit consanguinitatis dispensatio, vt postea ea impetrata possint illi licite contrahere. Quia mens eius commissiois non est, vt antea non expeditur eam dispensationem confessarium, sed vt non fortuitur plenum effectum concedenda facultatis ad matrimonium, donec Pontifex in impedimento alio dispenset.

8. Imo idem credo sufficere, quanuis impedimentum occultum eius esset generis, vt ex manifestatione infamia non sequeretur, vt si esset votum castitatis. Credo enim sat esse publicum Pontifici representari, vt in eo dispenset, & post modum vtrumque sacrae penitentiae. Ducor, quod cum sacram penitentiarum destinari Pontifex, vt in occultis dispenset, nec ea voluerit publice in foro externo proponi, pie & merito credi potest velle eum sufficere, & requiri, vt vel vtrumque impedimentum sibi proponatur, vel sacra penitentiae, explicato tamen publico sibi, super quo sacra penitentia potestate caret. Quando autem prius impetraretur a sacra penitentia, vel a Pontifice illius voti dispensatio, non esset opus mentione alterius impedimenti, iuxta dicta numero 4. Sed tunc solum, quando prius impetratur alterius impedimenti.

9. Vtrum autem possit tunc penitentiarum exigere compositionem, quae solenda erat ab copulam, si in foro externo dispensatio peteretur dicemus disputat. 34. num. 64.

10. Ad argumenta num. 1. proposita respondeatur. Ad primum constat ex dictis num. 2. vbi explicuimus qualiter iure caueatur vtrumque impedimentum in eadem

Ppp dif-



dispensatione exprimentum. Ad secundum dicitur, diuersam esse rationem. Quod ad dispensationis valoris petitur iure omnia impedimenta explicari, & in eadem dispensatione. At ad valoris abolitionis ab excommunicatione, nullo iure cauetur, ut impedimentum aliquod explicetur, prater eam causam praecise ob quam excommunicatio incurrit, cuius abolitio petitur. Imo nec eam causam necesse est explicare. Quia adhuc ipsa excommunicatione non expressa per obliuionem, manet poenitens ab ea absolutus per generalem ab excommuni-

catione abolitionem praemitti solita abolitioni a peccatis. Ad tertium negandum est stylum Curiae id habere, nisi in duplici casu explicato. num. 7. & 8. Ad quartum negatur consequentia. Quia impetratio illius venia diuersorum criminum tendit ad diuersos fines, & vna non pendet ab altera. At dispensatio vtriusque impedimenti tendit ad idem matrimonium in eundem, cui vtrūque illud impedimentum resistit: & ideo ut valeat, vtrūque simul impedimentum aperiendum est. Ad quintum constat ex dictis. n. 7. Ad vltimum constat ex dictis n. 4.

### DISPV. VIGESIMA QVARTA.

Quae exprimentum sint in dispensationibus impedimentorum matrimonij, vt subreptione liberentur?

#### SVMMARIVM.

**A**N Quando sunt plura impedimenta, sint omnia narranda? num. 1.  
 An sit explicandus gradus coniunctionis in consanguinitate, affinitate, publica honestate ex matrimonio rato? num. 2.  
 An sit legitimitas subreptitia, explicato vitio spurij in genere, & dispensatio, explicata coniunctione in genere, & tacito gradu? num. 3.  
 An duplici titulo consanguinitatis, affinitate, publica honestate, cognatione vel spiritali coniuncti, teneantur vtrūque explicare? Referretur quaedam sententia. num. 4.  
 Proponitur sententia auctoritatis: & explicatur qualiter in adulterini filij legitimatione sit vtrūque; patens adulterium dicendum. num. 5.  
 An hanc taciturnitatem suppleat clausula, non obstante, atque haec augeat gratiam supplens qualitates non expressas? num. 6.  
 An si affinitas est contracta ex multiplicata copula, quando est eadem consanguinea eius, quam quis ducere vult, sit haec copula multiplicata exprimentum in dispensatione: & similiter in dispensatione irregularitatis, quando excommunicatus celebravit saepe? num. 7.  
 Quid, si impetrata affinitatis dispensatione, impetrans iteraret copula eam eadem antequam ordinarius, vel coessor discesset, aut post? n. 8.  
 An potestas dispensandi in aliquo gradu etiam cum persona determinata, extendatur ad eum gradum duplicatum? num. 9.  
 An potestas dispensare in aliquo certo gradu, possit quoque; si cum eo gradu sit coniunctus alius inferior: & an potens dispensare in duobus consanguinitatis gradibus, vel altero consanguinitatis, & altero affinitatis, possit quando

vtrūque in eodem concurrat? num. 10.  
 Satisfit argumentis num. 11.  
 An quando femina est superior in gradu consanguinitatis, vt quia est amita viri, sit id explicandum? num. 12.  
 An idem sit explicandum in affinitate, & publica honestate? num. 13.  
 An sit explicandum quando distantia graduum est in linea recta, in consanguinitate, affinitate, ac publica honestate? num. 14.  
 An in cognatione spiritali sit exprimentum, an sit paternitas, vel copaternitas, ex quo Sacramento, ex qua ve actione ortum? num. 15.  
 An sit necesse explicare, an publica honestas orta sit ex matrimonio rato? num. 16.  
 An error vitior, quando exprimitur superior, cum sit inferior gradus? num. 17.  
 Quid, si ignoranter exprimitur inferior, cum sit superior? num. 18.  
 Quid, si error contingat narrando maius impedimentum, vt consanguinitatem, cum sit minus diuersae speciei, vt affinitatem? num. 19.  
 Quid, si in his casibus esset error communis circa gradum, impedimentum? num. 20.  
 An quando est votum, & iuramentum, siue in honorem solius Dei, siue simul in fauorē terrij, illo remittente, vel votum saepe iteratum, sit haec explicanda in petitione dispensationis. Et an volens ducere uxorem sit professus & Sacerdos, & an sit Episcopus, vel Sacerdos, an potius sit sit ordinem sacrum explicare? num. 21.  
 An uxorem interimens animo concubinae ducenda, vel absque eo animo, & res deulata est ad forum contentiosum, & damnatus non pena ordinaria, sed arbitraria defectu plenae delicti probationis, qualiter possit impe-

trare dispensationem, ne fatens delictum in narratione, possit de eo conuincere, ac damnari? num. 22.  
 An dum contrahentes consanguinei, vel affines, distant inaequaliter a stipite, fat sit mentio gradus remotioris? Referretur duplex opinio. num. 23. & 24.  
 Proponitur sententia Auctoritatis. num. 25.  
 Proponitur tenor literarum declaratoriarum, quae ex praescripto motus proprii vj v. impetranda sunt ab explicante solum gradum remotiorem. num. 26.  
 An haec sint necessariae, quando in publica honestate ex matrimonio rato, vel in affinitate ex fornicatione solum gradum remotior explicatur? num. 27.  
 An haec litera sint pro solo foro externo necessariae? num. 28.  
 An valeat matrimonium in initio solo gradu remotiori explicato, nec his literis impetratis, nec sit ad iudice Ecclesiastico separandum? num. 29.  
 Quid, si non allatis his literis declaratorijs iudex suo iudicio abuterens dispenseret, vel quia falso probatum est esse solum gradum remotiorem, an id matrimonium valeat? num. 30.  
 An ij, qui sit contractare, vbi non est scandalum, nec res ad forum externum delata, teneantur eas literas procurare? num. 31.  
 Quando gradum propinquior sit primus, an valeat dispensatio solo gradu remotiori explicato? num. 32.  
 An quando affinitas est occulta, & sic in solo foro conscientiae petitur dispensatio, fat sit gradus remotioris mentio absque ijs literis? num. 33.  
 An potestas dispensandi in aliquo gradu, extendatur ad ipsam quando mixtus est ex remotiori, & propinquiori? num. 34.  
 Enodatur privilegium Indis concessum, vt possint in tertio & quarto gradu matrimonij inire. num. 35.  
 An concurrentibus affinitate, & publica honestate, fat sit affinitatis mentio? Referretur duplex sententia. num. 36. & 37.  
 Explicatur sententia Auctoritatis. num. 38.  
 An sit subreptitia dispensatio affinitatis in tertio vel quarto gradu, non explicata publica honestate, nec copula licita ex qua affinitas est? num. 39.  
 Quid, si explicetur affinitas in primo vel secundo gradu, tacito an sit ex copula licita, & tacita publica honestate? num. 40. & ibi, an explicandum sit an affinitas sit ex licita copula, & quid, si in genere explicetur publica honestas? num. 41.

An potestas dispensandi in affinitate, extendatur ad publicam honestatem concurrentem: & ad publicam honestatem ex solo matrimonio rato, vel sponsalibus consurgentem? num. 41.  
 An in dispensatione consanguinitatis, vel affinitatis sit necessaria mentio copula incestuosa, matrimonij male contracti, sive facilius dispensationis? Remittitur. num. 42.  
 Soluuntur argumenta. num. 43.

**P**rima conclusio sit. Quoties sunt plura impedimenta, omnia sunt necessaria narranda, vt virtute dispensationis liceat matrimonio inire. Ratio est aperta, quia cum omnia illa matrimonio ineundo obstant, omnium illorum est necessaria dispensatio impetranda. Et sic docent omnes, solum enim controuertitur an sit necesse ea in eadem dispensatione exprimi, an fat sit in diuersis. De qua re egimus disput. praecedenti. Et specialiter conclusionem hanc docent Sotus. 4. dist. 41. quaest. vnica, art. 2. columna 4. Couarr. 4. decret. 2. part. cap. 6. §. 7. num. 1. Bartholomaeus a Ledesma de matrim. dub. 39. sine. Manuel 1. tomo summae, in 2. editione cap. 228. num. 1.

Secunda conclusio. Necesse quoque est, ne dispensatio subreptitia sit, exprimeret quoque gradum consanguinitatis, affinitatis, vel publicae honestatis ex matrimonio rato (in qua etiam sunt gradus) coniuncti sunt contrahere volentes. Constat ex communi stylo Curiae. Item, quia quod gradus coniunctior est, eo difficilius est dispensatio, ac maiori compositione exacta, vrgentioribusque causis petitis conceditur. Et ita fatentur omnes.

Hinc deducitur subreptitia esse dispensationem, si haec in genere explicetur tacito gradu. Quod deest qualitas necessaria exprimentum. Sicut in simili tradunt Doctores subreptitia esse legitimationem spurij, si solum declaratur eum esse spurium, tacitis qualitatibus, & circumstantijs coitus, ex quo procreatus est. Hi sunt Baldus. l. eam quam. num. 36. C. de fideicommissis. Anton. cap. per venerabilem. num. 15. qui filij sint legit. & ibi Abbas num. 27. Alexander de Neuo nu. 53. & latissime Probans Felinus. cap. postulasti. num. 2. declaratione §. de rescript. Alexand. consil. 195. num. 3. & 7. volum. 2. Francus cap. 1. num. 5. de filijs presbyter. in 6. Iason inflit. de actionibus. §. omnium. num. 32. Ripa rescripto 14. num. 11. de rescript. Selua benef. 3. part. quaest. 1. ad finem. Rebuffus praxi